Ordonnance

Sur le fait des monnoyes

Qui accorde aux Maitres des monnoyes certains remedes pour le poids, et la loy des especes, et leur ordonne de mettre une difference sur les nouvelles pour les distinguer des anciennes.

Du 2. aoust 1345.

Humbertus Dalphinus Viennensis Dilectis fidelibus Petro fabri de Romanis, et Otholino Lazari Magistris Monetarum nostrarum, salutem. Licet nuper ordinaverimus per vos nostras cudi monetas, videlicet Dozenos albos currentes pro duodecim denariis, de ligâ quinque denariorum argenti fini, et de pondere sex solidorum, et octo denariorum pro marchâ: Item, ternales nigros currentes pro tribus denariis, de ligâ duorum denariorum, et quatuor granorum argenti fini, et de pondere duodecim solidorum pro marchâ; Item, Denarios nigros, videlicet parvos ternales currentes pro tribus obolis, de ligâ unius denarii, et decem granorum argenti

fini, et de pondere Sexdecim Solidorum, et octo Denariorum pro marchâ, et quod dictas monetas cuderetis, seu cudi faceretis sub formâ, sub quâ de præsenti, seu nupér fiebant, et cudebantur consimiles nostræ monetæ, nullo ligæ, et ponderis remedio vobis dato, seu ordinato in ordinatione prædictâ, attendentes quod vix possetis dictas monetas, seu saltém difficiliter, sine remedio ligæ, et ponderis operari, et quod expedit propter ipsarum monetarum mutationem aliqualem differentiam fieri in eis cudendis, ad differentiam jám factarum, volumus, vobisque concedimus, quód in prædictis monetis cudendis, á parte crucis parvus Dalphinus, qui in monetis jám factis cudebatur, á dextro latere dictæ crucis, subtus scripturam, ubi incipitur, et comes albonis ponatur ab alio latere ipsius crucis, videlicet á parte sinistrâ; et Turris quæ de subtus ponebatur in monetis jám factis, á sinistro latere crucis, ponatur. De cætero in cudendis á dextro latere ipsius crucis, vobisque concedimus in prædictis monetis cudendis remedia ligæ, et ponderis infrá scripta, In dozenis

albis, duo grana, videlicet de remedio in ligâ, et unum dozenum inpondere pro qualibet marchâ: Item in Ternalibus currentibus pro tribus Denariis, remedium duorum granorum in ligâ et remedium duorum dictorum Ternalium inpondere: Item in parvis Ternalibus currentibus pro tribus obolis, remedium duorum granorum in ligâ, et remedium quatuor dictorum parvorum Ternalium inpondere pro qualibet marcâ. quæ quidem remedia vobis concedimus per præsentes, ita tamen quod illud quod in deliberationibus per vos faciendis forsitan deficeret, de justis Ligâ, et pondere, infra remedia supra dicta, teneamini et debeatis, in proximis sequentibus deliberationibus, supplere et recompensare, recompensando pondus ad Ligam, et ligam ad pondus, magis ad minus, et vice versa, in deliberationibus faciendis. Mandantes Gardiis, et Subgardiis monetarum nostrarum, ut ipsas sub prædictis ligâ, pondere, remediis ac differentiâ supra scriptâ, unâ cum aliis modis, formis, et conditionibus contentis in ordinatione, et concessione aliâ per nos noviter vobis scriptâ, expediant, et deliberent, et super ipsis curam, et discretionem —

adhibeam diligentem. Datum Avinione die 2a mensis augusti anno 1345. Sub annulo nostro secreto, in absentia Cancellarii nostri, per quem presentes litteras, cum requisitum fuerit, volumus sigillari. Per Dominum in Consilio, assistentibus Dom. Praecept. Massiliae, Francisco de Porma utriusque juris professore, Jacobo de Dya, et Guidone Torquati militibus./.